

de manducando suo corpore, & bibendo sanguine intelligentia, scandalizarentur auditorum eius plerique. Spiritus, inquit, est qui uiuiscat, caro non prodest quicquam. Ita, & Apostolus, legem Moysi, uelut hominem quendam, in duas partes dividens, aliud in ea, carnem, aliud spiritum nominat, & illam quidem exteriorem eius faciem, & obseruantiam quae secundum literam geritur, sensum carnis appellat: quemad modum dicit de Iudeis, apud quos literalis illa adhuc obseruantia uigebat, frustra inflatos sensu carnis suae, Illam uero spiritalem eius intelligentiam, quae latebat sub exteris oriea, literalique facie, spiritum nominat: sicut, & alibi dicit. Litera occidit, spiritus uiuiscat. Quem in modum, eandem legem secundum carnem, nunc impossibilem, nunc infirmam, ad auferenda peccata affirmat: ut propterea missus sit Dei filius, qui suae carnis pro peccato oblata hostia, damnavit peccatum in carne: hoc est, fugauit, & abstulit, & peccata nostra, ipse in se suscepit, ipse tulit, ipse portauit, quo sic iustificatio legis, sed spiritus uitae, impleretur in nobis, qui secundum spiritum eam custodimus. & non secundum carnem, qua parte, & infirma est, & nunc impossibilis. Qui enī, inquit, secundū carnē sunt, quae carnis sunt, sapiunt. Carnalis Israel, legē secundū carnē intelligit. At, qui sunt Iudei, spiritu, non litera, eandem quoque secundū spiritū intelligunt.

Ad eandem, quoque monetā haud improbabiliter plerique, & inter eos Origeni, etiā hoc pertinere uidetur, quod hijs cōtinuo subiungit Apostolus. Prudētia enim carnis mors est, prudentia autē spiritus, uita, & pax: ut si hoc idem cum eo quod dixit alibi, Litera occidit, spiritus uiuiscat, Prudētia carnis, mors est, Nam quis legem secundum carnem intelligens obseruat, ad Christum, qui uita est, non uenit. Prudētia uero spiritus, uita, & pax: vitam namque, & pacem, hoc est, Christum habet, qui spiritualiter legem intelligens, obseruat

Sensus carnis.

Lex spiritus  
uite.

Prudentia car-  
nis ut mors sit  
contra uero,  
prudentia spi-  
ritus, uita &  
pax,